





276.  
73

I. N. J. A.

THESES THEOLOGICÆ,  
DE  
SCRIPTURA  
SACRA,

Pro illustrando Loco primo Compendii Hutteriani

*congesta,*

De quibus,

in solenni Pastorum Orlamündano-  
rum conventu,

SI DEUS VOLUERIT,

amicè disputabitur,

PRÆSIDE

CHRISTOPHORO HEINRICO  
LOEBERO,  
SUPERINTEND.

ET RESPONDENTE

M. GOTTFRIDO SCHUMANNO,  
PAST. ALLENDORFIENSE.

*Ad diem*

*A. C. 1687.*

JENÆ,

Literis WERTHERIANIS.

THESES THEOLOGICAE

SCORPIPTURA

SACRA

Pro illustando loco primo Com-

pendii huiusmodi

De quibus

in solenni Pastoralis Ordinatione

hinc inde

ST. DEIN VORBEREITUNG

amplius

PRELUD

CHRISTOPHORO HENRI

CO. LOBBE

REPERTORIUM

IN RESPONDE

M. GOTTFRIEDO SCHMANN

PAST. ALLENDORF

GENA

Die 2. Febr. 1777



I. N. J. A.

# THESES DE SCRIPTURA SACRA.



St opus divinæ misericordiæ planè ineffabile, quod Deus humano generi, in peccatum prolapso, viam ad salutem ostendere, & paternam suam voluntatem scriptis comprehendendi voluit.

§. 2. Scripta illa κατ' ἐξουσίαν Biblia, i. e. libri, vocari solent: quia omnibus aliis libris & bibliothecis, dignitate suâ, palmam præripiunt. Cognominari etiam solent *Scriptura Sacra*, nonnullorum librorum biblicorum ductu, in quibus dicuntur *Scriptura*, Job. 2. v. 22. *Scripturae*, Matth. 21. v. 42. Job. 5. v. 39. Act. 17. v. 11. *Scriptura Sancta*, Rom. 1. v. 2. *Sacra literæ*, 2. Tim. 3. v. 15.

§. 3. Scriptura Sacra est verbum DEI, ex divinâ inspiratione, à Sanctis Prophetis & Apostolis, diversis temporibus & locis, idiomate partim ebræo, partim græco, in literas redactum, hominem peccatorem de essentiâ & voluntate DEI, adeoque de omnibus, quæ creditu & factu necessaria sunt, sufficienter informans, ut, DEI gratiâ, fidem in Christum consequatur, Deoque reconciliatus sanctè vivat, ac tandem vitam æternam obtineat.

§. 4. Dicitur 1. *Scriptura est verbum DEI &c.* seu epistola

A 2

stola creatoris ad creaturam. *Non enim libidine hominis olim allata est Prophetia; adeoque sancti DEI homines, i. e. à Deo peculiariter ad hoc opus electi, non scripserunt ac dixerunt, quicquid in buccam venit, sed acti à Spiritu Sancto, 2. Petri 1. v. 21. 2. Sam. 23. v. 2. Locuti sunt sermonibus, non quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus Sanctus, 1. Cor. 2. v. 13.*

§. 5. Dicitur 2. à Prophetis &c. Qui in V. T. Spiritus Sancti amanuenses fuerunt, *Prophetas* dicere consuevimus. Licet enim non omnes ex eorum sint numero, qui vulgò id nominis gerunt, omnes tamen futuro Messiae testimonium ferunt, *Act. 10. v. 43.* Quemadmodum & omnes N. T. Scriptores vocamus *Apostolos*; quia, licet quidam non fuere de numero duodecim; præditi tamen fuerunt apostolicis donis & officio, quo universum mundum docuerunt.

§. 6. Dicitur 3. in literas redactum. Nempe illud ipsum verbum, quod tum Deus & Christus ipse, tum sancti viri, ad ejus mandatum, hominibus proposuerunt, ejusdem impulsu, etiam scriptum fuit. Proindeque discrimen inter *Verbum DEI scriptum & prædicatum* non essentialè, sed accidentale tantum est.

§. 7. Dicitur 4. ex divina inspiratione. *Omnis enim Scriptura*, seu, quævis ejus particula, est *θεόπνευστος*, seu à Deo inspirata, 2. Tim. 3. v. 6. Adeoque Scriptura Sacra non tantum ratione sensus est à Deo; sed etiam ratione litterarum, syllabarum & verborum omnium; 2. optimâ etiam fide, & sine ullo errore consignata.

§. 8. Dicitur 5. idiomate ebraeo &c. Sunt quidem in V. T. nonnullæ particulae chaldaicè conscriptæ; nempe *versus undecimus c. 10. Jerem. In Esdra c. 4. v. 8. seqq. usque ad cap. 6. v. 19. & a cap. 7. v. 12. ad v. 27. Et in Daniele c. 2. v. 4. usque ad c. 8. v. 2.* Quia autem lingua hæc Ebrææ affinis, & partes eadem consignatæ pauca sunt, ideò, denominatione à potiori factâ, lingua prophetica dicitur ebræa: sed lingua Apostolica est græca.

§. 9.

§. 9. Sicut Salvator *Matth. 5. v. 18.* sanctè contesta-  
tur, legem esse conservandam, ita ut ne Jota quidem, vel  
apex, de eâ sit præteriturus, donec omnia facta sint: ita, di-  
vinâ providentiâ, scripta *Ἰεσὺς Χρῆστος*, sine omni corruptione,  
in probatis codicibus adhuc extant, ut, cum *Petro 2. ep. c.*  
*1. v. 19.* gloriari possimus: *Habemus firmum sermonem prophe-*  
*ticum.*

§. 10. Et quia Scriptura Sacra, per *Ἰεσὺς Χρῆστος*, à Deo  
summè verace ac bono, falli & fallere nescio, dependet: hinc  
patet, autoritatem ejus esse longè maximam, ita, ut ejus di-  
ctis fides prorsus certa & indubitata debeat.

§. 11. Interim tamen, ut Scriptura possit esse & funda-  
mentum fidei salvificæ, & credendorum ac agendorum,  
norma, ejus auctoritas, (seu, quod à Deo est inspirata)  
cognita esse debet, *notitiâ fidei divina*, omnisque dubitatio-  
nis experte. Si enim de eâ aliqualem tantum fidem huma-  
nam, vel opinativam haberemus, fides nostra cum formidi-  
ne oppositi conjuncta & tota incerta esset.

§. 12. Scripturam, quoad formale seu sensum à Deo  
esse, id est, Deum ipsum doctrinam, & res in eâ contentas  
tradidisse, innotescere quidem potest, ex variis credibilitatis  
motivis, præprimis ex Ecclesiæ, adeoque Ministrorum,  
Præceptorum & Parentum testimonio: sed hæc tantum hu-  
manam vel opinativam fidem generant.

§. 13. Ut autem fidei divinâ credatur, Scripturæ doctri-  
nam à Deo dependere, ad id movet ipsa Scriptura, cum at-  
tentione lecta vel auditu percepta, per se, immediatè; &  
quidem per divinam Spiritus Sancti virtutem illuminatricem;  
quæ, ex Dei gratiâ, verbo communicata, & in actu primo  
semper conjuncta est; per quam Deus hominum corda pul-  
sat, pias cogitationes accendit, illuminat & in firmum assen-  
sum trahit.

§. 14. Pertinet huc, quod *Paulus 1. Thess. 2. v. 13.* de  
suâ doctrinâ (quæ verò est ipsissima Scriptura doctrina) tra-  
dit, auditores suos eam accepisse, *non ut sermonem hominum,*  
A 3 sed,

sed, sicut revera est, tanquam DEI sermonem, seu à DEO profectum. Addit autem, id factum esse, quod Deus in ipsis, qui credunt, efficaciter sit operatus, seu supernaturaliter concurrando cum verbo, testatus, hoc esse suum verbum. Idem ait 1. Cor. 2. v. 13. *Sermo meus & prædicatio mea non erat in persuasoriis humane sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: ut fides vestra non sit in sapientiâ hominum, sed in potentia DEI.* Hinc Evangelium vocatur *DEI potentia*, Rom. 1. v. 16. 1. Cor. 1. v. 18. quia nempe Spiritus S. per id efficaciter in cordibus nostris operatur, & ita testatur, spiritum, i. e. doctrinam à Spiritu S. profectam, esse veritatem, 1. Joh. 5. v. 6.

§. 15. Atque si ita Scripturæ autoritas, quantum ad ejus formale, fuerit cognita, non minus in aliis linguis, quam in suo textu primigenio, lecta vel prædicata, ad cavendum fidei assensum valida est & efficax; sed cum autoritate ejus normativâ res paulò aliter se habet.

§. 16. Potest Scripturæ versio certo respectu adhiberi, tanquam canon & norma doctrinæ fidei & morum, quatenus nimirum constat, vel inter partes dissidentes convenit, eam textui originali esse congruam; absolutè tamen & per se id ei tantum in textu primigenio competit.

§. 17. Ut enim Scriptura aliqua per se canon & norma sit, requiritur etiam ex parte verborum certitudo & infallibilitas absoluta, quæ omne erroris periculum excludat. Talis verò non est, nisi ubi ipsa verba à Deo inspirata & in eorum quasi dictata esse constat.

§. 18. Quo verò idiomate quivis liber conscriptus, & quis cujusque textus primigenius sit, id à nobis ex nullo indicio certius cognosci potest, quam ex illius Ecclesiæ testimonio, quæ floruit eo tempore, quo Scriptores *Ἰερόπυλοι* in carne vixerunt: id quod, per DEI gratiam, fideliter & summo studio ad nos fuit propagatum. Sed id solum, non nisi humanam fidem generat.

§. 19. Ut autem, quo idiomate liber conscriptus sit, etiam  
noti-



notitiã fidei divinæ teneamus, de eo Scriptura fert testimo-  
 nium *mediatum*, & per consequentiam. Nam ex eo, quod  
 docet, omnem Scripturam esse ἁγιόγραφον infallibiliter se-  
 quitur hæc propositio: Quo idiomate Scriptura ἁγιόγραφος  
 primitus consignata est, eo etiam à DEO ad scribendum inspira-  
 ta, & ex divinã inspiratione consignata est. Quod si subsu-  
 mam: Atqui Scriptura ἁγιόγραφος V. T. ebreo, & Scriptura  
 ἁγιόγραφος Novi Testamenti græco idiomate primitus conscripta  
 est. Sequitur: Ergo Scriptura ἁγιόγραφος V. T. ebreo, &  
 Scriptura ἁγιόγραφος N. T. græco idiomate à DEO ad scriben-  
 dum inspirata, & ex divinã inspiratione consignata est. Quæ  
 conclusio, quia dependet à majore propositione, quæ in  
 Scripturâ solidè fundata, & propterea fidei divinæ est, etiam  
 est fidei divinæ. Quæ fufius declarata vide in *Introduct. in*  
*Theol. B. Musei, part. 2. cap. 6. §. 7. & Dn. D. Baieri Theol.*  
*Pos. Proleg. c. 2. §. 32. & seqq.*

§. 20. Quã ipsã doctrinã, uti contradicimus (1.) Pon-  
 tificis, secundum quos Scripturæ autoritas ab autoritate Ec-  
 clesiæ, seu Pontificis Romani, dependet; & (2.) *Enthusia-*  
*stis*, fingentibus tale internum Spiritus S. testimonium, quod  
 is absque Scripturâ ferat: sic Pontificiorum est calumnia,  
 nos assensum fidei divinæ in cujusque credentis sensum &  
 spiritum privatum ultimò resolvere.

§. 21. Libris V. T. genuinis & canonicis jungi solent  
 in codice sacro alii libri, *Apocryphi* dicti, qui nec linguã pro-  
 pheticã, nec ab autore ἁγιόγραφος sunt scripti, ac sua insuper  
 vitia habent. Occurrunt enim inibi talia, quæ vel canoni-  
 cis repugnant, vel in veritatem historicam & chronologicam  
 impingunt, vel sibi ipsis contradicunt.

§. 22. Apocryphi quidam libri, ad ædificationem, in  
 Ecclesiã, possunt legi; nonnulli verò valdè sunt jejuni; pro-  
 ptereaque à B. *Luthero* prætermitti, & præfente demum se-  
 culo à B. D. *Daniele Cramero*, ad germani lectoris curiosita-  
 tem satiandam, in linguam nostram translati, & nonnullis  
 codicibus biblicis inferti.

§. 23.

§. 23. Librorum eorum, qui in Novi T. codice reperiuntur, nullus est Apocryphus. Sunt tamen quidam *πρωτοκανονικοί*, seu *Canonici primi ordinis*, de quorum autoritate in Ecclesia nunquam fuit dubitatum; alii vero *Canonici secundi ordinis*, seu *δευτεροκανονικοί*, de quorum autoritate ab aliquibus fuit dubitatum; utpote, qui ab initio non tot Ecclesiis fuerunt communicati, ac ceteri.

§. 24. Temeritas insignis fuit Patrum Tridentinorum, qui *Sess. 4. decreto 1.* librum *Tobie*, *Judith*, *Sapientia*, *Ecclesiastici*, *Baruch*, *Fragmenta Danielis* (Hæc enim sub nomine *Danielis* simul intelligunt. Vide *Bellarmin. l. 1. de verbo DEI c. 9.*) & duos *Maccabeorum* pro libris canonicis suscipiendos esse statuerunt: quos tamen vetus Judaica Ecclesia, cui τὰ λόγια τῆς θεῆς fuere commissa, *Rom. 3. v. 2.* pro divinitus inspiratis nunquam agnovit.

§. 25. Nec minor est temeritas, quod *c. 1. decret. 2.* vulgatam latinam Bibliorum versionem authenticam declararunt, *quam nemo rejicere quovis pretextu audeat, vel presumat.* Nam 1. illa nec divinitus inspirata, nec divinitus comprobata est. 2. Cum (A. C. 1546.) illud decretum condere-tur, ipsis Pontificiis adhuc incertum fuit, quæ lectio, plurimis in locis, vera, adeoque quæ genuina vulgatæ editio sit. 3. Editio, quam Sixtus V. A. C. 89. edidit, & constitutione perpetuo valitura, veram vulgatam, in concilio approbatam & pro authenticâ tenendam esse voluit, Anno C. 92. à Clementi 8. suppressa, eique nova, plurimis in locis à priori diversa, nec suis vitiis carens, surrogata & canonizata fuit. Vid. ex professo hæc tradentem *B. Calov. in Critico sacro p. 502. & seqq.*

§. 26. Sequitur nunc in definitione 6. *sufficienter informans &c.* Quibus *Scripturæ perfectio*, & consequenter ejusdem *perspicuitas* innuitur.

§. 27. Perfecta dicitur Scriptura, *ratione consecutionis finis*; quia sufficiens est, ad finem, cujus gratiâ homini data est, obtinendum. Nam, quæ homini salvando creditu ac factu

factu necessaria sunt , seu , quæ ad veram pietatem & felicitatem æternam obtinendam requiruntur , sine ullo defectu tradit.

§. 28. Siquidem epulonis fratres , Mosen & Prophetas ( in Scripturis ) audiendo , gehennæ cruciatus poterant effugere , *Luc. 16. v. 29.* Et possunt sacræ literæ erudire ad salutem ; imò utiles sunt ad doctrinam , ad redargutionem , ad correctionem , ad institutionem in justitiâ , ut DEI etiam homo & Ecclesiæ minister inde perfectus fiat , & ad omne opus bonum apparatus , *2. Tim. 3. v. 15. 16. 17. Conf. Job. 20. v. ult.*

§. 29. Si quis ad ista , alia pietatis dogmata , apposuerit , apponet Deus super illum plagas , in codice Sancto scriptas , *Apoc. 22. v. 18.*

§. 30. Detestamur proinde , quod Tridentini *c. l. decr. 1.* suas traditiones , cum Scripturâ , pari pietatis affectu & reverentiâ , suscipiendas & venerandas , declarant.

§. 31. Spuria etiam est definitio , quâ , ductu Catecheseos Canisii , ad fidem requiritur , ut homo firmiter adsentiat omnibus , quæ Deus revelavit , & nobis per Ecclesiam credenda proposuit : *sive scripta illa sint , sive non.*

§. 32. Peccant etiam Calviniani & Antitrinitarii , dum rationi nostræ dominium , in articulis fidei , permittunt.

§. 33. Ex jam dictâ Scripturæ perfectione fluit etiam ejusdem perspicuitas. Quod enim Christianum perfectè erudire debet , id perspicuum esse oportet. *Perspicuitas docet & erudit , non obscuritas & perplexitas :* ( ut *B. Gerhardus* loquitur *aphor. 31. disp. 2.* ) utpote quâ quis *in aërem loquitur* , *1. Cor. 14. v. 9.* Ac insuper Scripturæ perspicuitas , inter alia , ex eo probatur , quod illa comparatur *lucernæ* , *Psal. 19. v. 9. Psal. 119. v. 105. 2. Pet. 1. v. 19.*

§. 34. Perspicua itaque est , ita ut , quæ creditu & factu homini ad salutem tendenti , necessaria sunt , verbis & phrasibus ita claris & usu loquendi receptis in eâ proponantur , ut quilibet homo , linguæ gnarus , & vel mediocri iudicio pollens , verbisque attendens , verum verborum sensum ,

B

quo-

quoad ea, quæ sibi scitu sunt necessaria, assequi & ipsa doctrinæ capita cognoscere possit.

§. 35. Distinguendum hîc inter *verborum perspicuitatem*; & *rerum significatarum evidentiam*. Hanc Scripturæ non adsignamus; sed dicimus, doctrinas fidei, in Scripturâ propositas, esse inevidentes, & humanæ rationi imperscrutabiles; perspicuis tamen verbis proponi.

§. 36. Nullus itaque est articulus fidei, nullum vitæ præceptum, quod non alicubi verbis propriis, claris & perspicuis in Scripturâ proponatur.

§. 37. Et veneranda est divina providentia, quâ factum, ut nulla, etiam ab adversariis adornata, versio adeò sit corrupta, ut non possis ex eadem Articulos, in nostris Ecclesiis creditos, ostendere. Adeò enim clarus est originarius textus in illis locis, ut nullâ *Translatorum Sophisticâ* obscurari potuerit; ut loquitur *B. Scherzerus Syst. Theol. Loc. 1. not. ad §. 15.*

§. 38. Ineptè contendunt Pontificii, Scripturam esse obscuram, ita ut, si Ecclesiæ autoritas absit, nihil certi de fide & moribus exinde desumi possit.

§. 39. Sicut unius rei unica est forma specifica: ita verus verborum Scripturæ sensus literalis, unius loci, non nisi unus est.

§. 40. Interpretis officium est, non quid ipse velit, sed quid ille, quem interpretatur, sentiat, exponere. Alioqui, si contraria dixerit, non tam interpret erit, quàm adversarius ejus, quem nititur explanare. Sic etiam Scriptura non est *ιδίας ἑρμηνείας*, seu *privatæ interpretationis*, seu, non est pro hominum arbitrio torquenda, *2. Pet. 1. v. 20.*

§. 41. Sensus in illam non inferendus, sed ex eâ eruendus est. Ad quod nec necessarius, nec à DEO datus est *visibilis judex decisivus*; sed potest is erui, si genuina & usitata verborum significatio, cum scopo scribentis, investigetur, antecedentia & consequentia conferantur, aliaque, quæ tum naturales, tum speciales (quæ in Scripturâ speciali-  
ter

ter animadversæ sunt) bonæ interpretationis leges requirunt, observentur.

§. 42. Et quia Deus in loquendo sapientissimus est; ideò non tantùm ea, quæ ἀπολεξεί & totidem verbis in Scripturâ habentur, sed etiam ea, quæ in illis quasi latent, & per bonam consequentiam exinde deduci possunt, pro ejus sententiâ amplectenda.

§. 43. Homo etiam non renatus Scripturam potest legere, & quæ ejus sit doctrina, investigare ac judicare, eam tamen sine divinâ gratiâ pro verâ agnoscere non potest; sed pro stultitiâ habet, 1. Cor. 1. v. 23. c. 2. v. 14.

§. 44. Unde in definit. dictum fuit 6. *Dei gratiâ*; sine quâ nemo fidem consequi valet, 1. Cor. 12. v. 3. Nimirum Deus, ex merâ gratiâ, verbo suo (ut suprâ dictum) vim divinam communicavit, ad hominis excæcati oculos aperiendos, ac fidem, cum bonis agendi viribus, accendendam & conservandam.

§. 45. Est itaque Scriptura efficax medium, hominem illuminandi, convertendi & salvandi. Inque eam injurii sunt Enthusiastæ, cum aliis, qui eandem *literam mortuam* vocare non erubescunt.

§. 46. Ex Scripturâ Sacrâ, impulsu Spiritus Sancti, omnis boni fontis & largitoris, præter *Symbola Oecumenica*, alia quoque (quæ, ob aliqualem prolixitatem, communiter *libri Symbolici* vocantur) post reformationem, B. Lutheri auspiciis, inchoatam, sunt concinnata, & publicè recepta: in quibus eadem doctrina traditur, ita tamen, ut pro occasionis & scopi diversitate, quæ in uno concisius proponuntur, in alio explicentur prolixius.

§. 47. Inter Symbola primo loco numeratur *Symbolum Apostolicum*; in quo antiquitus doctrina de Deo, ejusque beneficiis brevissimè est collecta; quibus tamen autoribus, & quando, est incertum. (Celeberr. Ludolfus l. 3. Hist. Æthiop. c. 5. n. 19. Habessini illo, quo nos utimur (Symbolo) uti cæteri Orientales, carent; haud levi indicio, Apostolos illius auto-

res non esse, quamvis doctrina ratione Apostolicum rectè vocetur.) Vide prolixè de eo disputantem *D. Ruelium in Hist. Conciliorum Tom. 1. p. 132. seqq.*

§. 48. Alterum est *Symbolum Nicenum*; quod in Concilio Niceno A. C. 325. ad Arii hæresin eliminandam, fabricatum, & postea in Concilio Constantinopolitano A. C. 381. occasione hæreseos Macedonianæ, quoad doctrinam de Spiritu S. & alias, completum, istis verbis: *Dominum & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit*; & quæ, usque ad finem, sequuntur. Quanquam vox: *Filioque*, non ab ipsis Concilii Patribus, sed à Latinis adjecta dicatur.

§. 49. Tertium, iisdem hæresibus, præcipuè Arianis oppositum, *Athanasio* adscribitur, diuque in Archivis latitasse, & seculo demum sexto, in Concilio Toletano, publicè receptum esse dicunt. Quæ etsi forsàn solidâ probatione destituantur, ipsum nihilominus *Symbolum propter doctrinæ sinceritatem, & antiquitatem*, magnam autoritatem obtinet. *Conf. B. Cundis. in not. ad Hütt. p. 35.*

§. 50. Inter Symbola Ecclesiarum, Lutheri ministerio, à fermento pontificio, repurgatarum, primo loco meritò numeratur *Augustana Confessio*.

§. 51. Hæc est *Symbolum Ecclesiæ orthodoxæ*, de primariis fidei capitibus, & quibusdam Papistarum abusibus, ad mandatum Imperatoris Caroli V. à Protestantibus, delineante primum B. Luthero, postea verò Augustæ, cum consilio aliorum Theologorum, in ordinem dirigente Philippo Melanchthone, è Scripturis S. consignatum, ibidem accuratè examinatum, demum Luthero missum & approbatum, subscriptum à Johanne Duce Saxonæ Electore & in religione Sociis, nec non d. 25. Julii A. C. 1530. in Comitibus Imperii Romani, coram Imperatore, Ferdinando Rom. Rege & præsentibus Electoribus ac aliis Imperii Ordinibus, per Electoris Saxonæ Cancellarium, sonorâ voce, lectum, & Cæsareæ Majestati exhibitum. Præter alia, quæ pro eâ defendendâ & explicandâ à quamplurimis scripta sunt, lectio-  
ne

ne dignissimus est liber German. jussu Joh. Georg. I. Ele-  
toris Saxoniae conscriptus, *Vertheidigung des Augapfels / und*  
*Hauptvertheidigung / &c.*

§. 52. Decennio post alia prodiit Confessio; quæ quia  
à Philippo, proprio ausu, in multis variata, ac erroribus  
diversis contaminata, & deformata; nec Augustanum  
Imperii conventum unquam vidit, multò minùs ab Eccle-  
siâ nostrâ est recepta, ideoque nec Augustana, nec nostra,  
sed *Philippæa* dici meretur.

§. 53. Alterum nostrum Symbolum est *Apologia Au-*  
*gustanae Confessionis*, quæ, jussu Principum & Statuum Pro-  
testantium, ad refutandam Confutationem Pontificiam, à  
Philippo Augustæ delineata, postea verò elaborata & Wite-  
bergæ magis diducta, A. C. 1531. edita, & ( ut habetur in *so-*  
*lidâ declar. pag. 633.*) *unanimes consensu* approbata fuit.

§. 54. Sequuntur *Articuli Smalcaldici*, in frequentis-  
simo Evangelicorum conventu, Smalcaldia A. C. 1537. à Lu-  
thero, ut futuro Concilio, Mantuæ vel alibi congregando,  
exhiberetur, conscripti, & communi consensu comprobati.  
Quâ occasione commendari meretur scriptum Protestantium  
utilissimum, de causis recusati Concilii Tridentini: *Stattli-*  
*che Ausführung der Ursachen / &c.*

§. 55. Accedit *Catechismus major & minor*, à Luthero  
A. C. 1529. per summam plebis, sui temporis, ruditatem  
permoto, conscripti, tum ad faciliorem simpliciorum in-  
formationem promovendam, tum ad majorem Doctorum  
solicitudinem in tradendâ religione Christianâ, excitan-  
dam, ab Evangelicorum Ecclesiis & Scholis unanimiter  
recepti.

§. 56. Agmen claudit *Formula Concordiæ* ( *Declara-*  
*tione solidâ* stipata ) quæ est compendiarie sanæ doctrinæ  
expositio, quâ unanimis & communis Ecclesiarum nostra-  
rum sententia, præprimis de quibusdam controversiis, su-  
periori sæculo, inter Augustanæ confessionis Theologos ex-  
ortis, continetur & declaratur.

§. 57. Cùm enim, brevi post B. Lutheri mortem, gravissimæ controversiæ inter ipsos Augustanæ Confessionis socios orerentur, Augustus Elector, curâ nunquam satis prædicandâ, & maximis sumtibus, ( quorum summa ad 80000. Thaleros adscendisse dicitur. Vide *Anton. Weck / in descript. Dresde p. 135.* ) post varios conventus & deliberationes, non tantum celebriores suos, sed & exteros, Electoris Brandenburgici, Julii, Duc. Brunsv. Ducis Württembergici & Megapolensium Theologos ( quorum præcipui erant *D. Jacobus Andrea, D. Martinus Chemnitius, D. Andreas Musculus, D. David Chytræus, D. Nicolaus Selneccerus, D. Christophorus Cornerus.* ) ad Concordiæ Formulam delineandam, convocavit Torgam A. C. 1576. ( Unde *Joh. Georg. II. Elect. Saxonix centesimum ejus natalem Anno 1676. Torgæ d. 7. Junii* solenniter celebrari mandavit ) Quâ deinde ultrò citroque missâ, denuò A. C. 1577. jam nominatos sex Theologos in Cœnobium Bergense, prope Magdeburgum convocavit, ( unde Adversariis *Patres Bergenses* audiunt ) ut acceptis variis censuris & judiciis examinatis, eam relegendo & declarando ad perfectionem deducerent: quæ deinde, impetratâ trium Electorum, 48. Principum & illustrium Virorum aliorum, 35. Civitatum, & ( si rectè numeravimus ) 8235. Ecclesiarum & Scholarum ministrorum subscriptione, A. C. 1580. Dresdæ & Tubingæ typis evulgata est. Ejusdem Electoris jussu illius Apologia, in Conventu Erphordienfi A. C. 1582. conscripta fuit à *Kirchnero, Selneccero & Chemnitio.*

§. 58. Hisce hodiè jungi solent *Articuli visitatorii*, qui, ad eliminandum Crypto-Calvinismum, auspiciis *Friderici Wilhelmi*, Proelectoris Saxonix A. C. 1592. in Electoratu & provinciis superioris Saxonix publicati, & Judicibus Consistoriorum, Superintendentibus, Ministris Scholarum & Ecclesiarum, nec non Administratoribus bonorum Ecclesiasticorum, quin & ipsis Patronis, & collatoribus, ad subscribendum & servandum propositi & demandati.

§. 59.



§. 59. Symbola prædicta continent formam sanorum verborum, proque verâ religione dant testimonium, eamque explicant. Adeoque profunt ad doctrinam Christianam feliciter propagandam, & noxios errores devitandos.

§. 60. *Absolutè & propriè dicta* norma non sunt. Certo tamen respectu vocantur nonnullis *libri normales*, norma *normata*, norma *secundaria* &c. Quia nimirum inter eos, qui *Confessiones illas verbo DEI congruere confitentur*, publica doctrina ad illas accommodanda, eorumque scripta, cum exortis controversiis, ex illis dijudicanda; nosque per eas ab aliis Ecclesiis distinguimur.

§. 61. Magistratus Christianus, dum librorum Symbolicorum subscriptionem requirit, hoc explorare nititur: an subscripturus, doctrinam inibi comprehensam, scriptis Prophetis & Apostolicis ex assè consentaneam esse, sincere credat?

§. 62. Hinc inexcusabilis dolus committitur ab illis, qui *sub conditione subintellectâ & cum mentis reservato*, adeoque non simpliciter subscribunt. Qualiter Zanchius Augustanæ Confessionis fertur subscripsisse: *Hanc Confessionem, ut (in quantum) piam judico: ita (in tantum) subscribo.* Hac certè ratione vel ipsi Alcorano posset subscribi.

§. 63. Turpe quoque est dictu, quod diversi, qui vel in Symbola Ecclesiarum nostrarum jurarunt, vel in ea sibi jurandum esse, præsciunt, (ut B. Lutherus loquitur in *Præf. ad Catech. maj. p. 391.*) *sive tam inertes, sive perversi sunt, ut scripta hæc nec emere dignentur, nec, si empta habeant, intueri saltem, ac legere velint.* Tantum hæc vice!

*Domine dirige nos in veritate tuâ,  
Amen!*



Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!


SLUB DRESDEN



3 1712487

Coll. diss. B. 27, misc. 14

